

et esse ibi unum est. Et ideo Patri sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur: « Est, est: Non, non¹. » Et ideo Verbum hoc vere veritas est: quoniam quidquid est in ea scientia de qua genitum est, et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest: quia immutabiliter sic se habet, ut se habet de quo est. « Non enim potest Filius a » se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem². » Potenter hoc non potest, nec est infirmitas ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas. Novit itaque omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso. Omnia similiter novit et Filius, in se scilicet, tanquam ea quæ nata sunt de iis quæ Pater novit in se ipso: in Patre autem, tanquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in se ipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius: sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt: non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia: sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt.

XXIV. Verbum autem nostrum illud quod non habet sonum neque cogitationem soni, sed ejus rei quam videndo intus dicimus, et ideo nullius linguæ est; atque

¹ Matth. v, 34, et 2 Cor. i, 19. — ² Joan. v, 19.

inde utcumque simile est in hoc ænigmate illi Verbo Dei, quod etiam Deus est, quoniam sic et hoc de nostra nascitur, quemadmodum et illud de scientia Patris natum est: nostrum ergo tale verbum, quod invenimus esse utcumque illi simile, quantum sit etiam dissimile sicut a nobis dici potuerit, non pigeat intueri. Numquid verbum nostrum de sola scientia nostra nascitur? Nonne multa dicimus etiam quæ nescimus? Nec dubitantes ea dicimus, sed vera esse arbitantes: quæ forte si vera sunt, in ipsis rebus de quibus loquimur, non in verbo nostro vera sunt; quia verbum verum non est, nisi quod de re quæ scitur, gignitur. Falsum est ergo isto modo verbum nostrum, non cum mentimur, sed cum fallimur. Cum autem dubitamus, nondum est verbum de re de qua dubitamus, sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamvis enim non noverimus an verum sit unde dubitamus, tamen dubitare nos novimus: ac per hoc cum hoc dicimus, verum verbum est; quoniam quod novimus, dicimus. Quid quod etiam mentiri possumus? Quod cum facimus, utique volentes et scientes falsum verbum habemus: ubi verum verbum est mentiri nos; hoc enim scimus. Et cum mentitos nos esse confitemur, verum dicimus; quod scimus enim dicimus; scimus namque nos esse mentitos. Verbum autem illud quod est Deus et potentius est nobis, hoc non potest. « Non enim potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem¹: » et non a se ipso loquitur, sed a Patre illi est omne quod loquitur, cum ipsum Pater unice loquitur: et magna illius Verbi potentia est, non posse mentiri; quia non potest esse illic: « Est et non, » sed « Est, est: Non, non². » At enim nec verbum dicendum est quod verum non est. Si ita, libens assentior. Quid, cum verum est verbum

¹ Joan. v, 19. — ² 2 Cor. i, 19.

nostrum, et ideo recte verbum vocatur, numquid sicut dici potest vel visio de visione, vel scientia de scientia, ita dici potest essentia de essentia, sicut illud Dei Verbum maxime dicitur maximeque dicendum est? Quid ita? quia non hoc est nobis esse, quod est nosse. Multa quippe novimus quæ per memoriam quodam modo vivunt, ita et oblivione quodam modo moriuntur: atque ideo cum illa jam non sint in notitia nostra, nos tamen sumus; et cum scientia nostra animo lapsa perierit a nobis, nos tamen vivimus.

XXV. Illa etiam quæ ita sciuntur, ut nunquam excidere possint, quoniam præsentia sunt, et ad ipsius animi naturam pertinent, ut est illud quod nos vivere scimus: (manet enim hoc quandiu animus manet, et quia semper manet animus, et hoc semper manet:) id ergo et si qua reperiuntur similia, in quibus imago Dei potius intuenda est, etiamsi semper sciuntur, tamen quia non semper etiam cogitantur, quomodo de his dicatur verbum sempiternum, cum verbum nostrum nostra cogitatione dicatur, invenire difficile est. Sempiternum est enim animo vivere, sempiternum est scire quod vivit: nec tamen sempiternum est cogitare vitam suam, vel cogitare scientiam vitæ suæ: quoniam cum aliud atque aliud coepèrit, hoc desinet cogitare, quamvis non desinat scire. Ex quo fit ut si potest esse in animo aliqua scientia sempiterna, et sempiterna esse non potest ejusdem scientiæ cogitatio, et verbum verum nostrum intimum nisi nostra cogitatione non dicitur, solus Deus intelligatur habere Verbum sempiternum, sibi que coæternum. Nisi forte dicendum est, ipsam possibilitatem cogitationis, quoniam id quod scitur, etiam quando non cogitatur, potest tamen veraciter cogitari, verbum esse tam perpetuum, quam scientia ipsa perpetua est. Sed quomodo est verbum, quod non-

dum in cogitationis visione formatum est? Quomodo erit simile scientiæ de qua nascitur, si ejus non habet formam, et ideo jam vocatur verbum quia potest habere? Tale est enim ac si dicatur, ideo jam vocandum esse verbum quia potest esse verbum. Sed quid est quod potest esse verbum, et ideo jam dignum est verbi nomine? Quid est, inquam, hoc formabile nondumque formatum, nisi quiddam mentis nostræ, quod hac atque hac volubili quadam motione jactamus, cum a nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verum verbum, quando illud quod nos dixi volubili motione jactare, ad id quod scimus pervenit, atque inde formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens, ut quomodo res quæque scitur, sic etiam cogitetur, id est, sine voce, sine vocis cogitatione, quæ profecto alicujus linguæ est, sic in corde dicatur. Ac per hoc etiam si concedamus, ne de controversia vocabuli laborare videamur, jam vocandum esse verbum quiddam illud mentis nostræ quod de nostra scientia formari potest, etiam prius quam formatum sit, quia jam, ut ita dicam, formabile est; quis non videat, quanta hic sit dissimilitudo ab illo Dei Verbo, quod in forma Dei sic est, ut non antea fuerit formabile prius quam formatum, nec aliquando esse possit informe, sed sit forma simplex et simpliciter æqualis ei de quo est, et cui mirabiliter coæterna est? Quapropter ita dicitur illud Dei Verbum, ut Dei cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut verbum sit, eamque possit amittere, atque informiter quodam modo volutari. Bene quippe noverat verba, et vim cogitationis inspexerat locutor egregius, qui dixit in carmine, Secumque volutat eventus belli varios⁴: id est, cogitat. Non ergo ille Dei

⁴ Virg. Æneid. lib. x. vers. 159 et 160.

Filius cogitatio Dei, sed Verbum Dei dicitur. Cogitatio quippe nostra proveniens ad id quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est. Et ideo Verbum Dei sine cogitatione Dei debet intelligi, ut forma ipsa simplex intelligatur, non habens aliquid formabile quod esse etiam possit informe. Dicuntur quidem etiam in Scripturis sanctis cogitationes Dei, sed eo locutionis modo, quod ibi et oblivio Dei dicitur, quæ utique ad proprietatem in Deo nulla est.

XXVI. Quamobrem cum tanta sit nunc in isto ænigmate dissimilitudo Dei et Verbi Dei, in qua tamen nonnulla similitudo comperta est: illud quoque fatendum est, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est¹ (quod utique qui dixit, hanc procul dubio quæ nunc est dissimilitudinem attendit), nec tunc natura illi erimus æquales. Semper enim natura minor est faciente quæ facta est. Et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque falleremur; fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus: tamen cum et hoc fuerit, si et hoc fuerit, formata erit creatura quæ formabilis fuit, ut nihil jam desit ejus formæ, ad quam pervenire deberet: sed tamen coæquanda non erit illi simplicitati, ubi non formabile aliquid formatum vel reformatum est, sed forma; neque informis, neque formata, ipsa ibi æterna est immutabilisque substantia.

XXVII. Satis de Patre et Filio, quantum per hoc speculum atque in hoc ænigmate videre potuimus, locuti sumus. Nunc de Spiritu sancto, quantum Deo donante videre conceditur, disserendum est. Qui Spiritus sanc-

¹ 1 Joan. III, 2.

tus secundum Scripturas sanctas, nec Patris solius est; nec Filii solius, sed amborum: et ideo communem, qua invicem se diligunt Pater et Filius, nobis insinuat charitatem. Ut autem nos exerceret sermo divinus; non res in promptu sitas, sed in abdito scrutandas et ex abdito eruendas, majore studio fecit inquiri. Non itaque dixit Scriptura, Spiritus sanctus charitas est; quod si dixisset, non parvam partem quæstionis istius abstulisset: sed dixit: « Deus charitas est¹, » ut incertum sit, et ideo requirendum, utrum Deus Pater sit charitas, an Deus Filius, an Deus Spiritus sanctus, an Deus ipsa Trinitas. Neque enim dicturi sumus, non propterea Deum dictam esse charitatem, quod ipsa charitas sit ulla substantia, quæ Dei digna sit nomine; sed quod donum sit Dei, sicut dictum est Deo: « Quoniam tu es patientia mea²: » neque enim propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia, sed quod ab ipso nobis est, sicut alibi legitur: « Quoniam ab ipso est patientia mea³. » Hunc quippe sensum facile refellit Scripturarum ipsa locutio. Tale est enim: « Tu es patientia mea⁴; » quale est, « Tu es, Domine, spes mea; et Deus meus misericordia mea⁵; » et multa similia. Non est autem dictum, Domine charitas mea; aut: Tu es charitas mea; aut, Deus charitas mea: sed ita dictum est: « Deus charitas est⁶, » sicut dictum est: « Deus spiritus est⁷. » Hoc qui non discernit, intellectum a Domino, non expositionem quærat a nobis: non enim apertius quidquam possumus dicere.

XXVIII. « Deus ergo charitas est: » utrum autem Pater, an Filius, an Spiritus sanctus, an ipsa Trinitas, quia et ipsa non tres dii, sed unus est Deus, hoc quæri-

¹ 1 Joan. IV, 16. — ² Psal. LXX, 5. — ³ Id. LXI, 6. — ⁴ Id. XC, 9. — ⁵ Id. LVIII, 18. — ⁶ 1 Joan. IV, 16. — ⁷ Joan. IV, 24.

tur. Sed jam in hoc libro superius disputavi, non sic accipiendam esse Trinitatem quæ Deus est, ex illis tribus quæ in trinitate nostræ mentis ostendimus, ut tanquam memoria sit omnium trium Pater, et intelligentia omnium trium Filius, et charitas omnium trium Spiritus sanctus, quasi Pater nec intelligat sibi nec diligit, sed ei Filius intelligat, et Spiritus sanctus ei diligit, ipse autem sibi et illis tantum meminerit; et Filius nec meminerit nec diligit sibi, sed meminerit ei Pater, et diligit ei Spiritus sanctus, ipse autem et sibi et illis tantummodo intelligat; itemque Spiritus sanctus nec meminerit nec intelligat sibi, sed meminerit ei Pater, et intelligat ei Filius, ipse autem et sibi et illis non nisi diligit: sed sic potius, ut omnia tria et omnes et singuli habeant in sua quisque natura. Nec distent in eis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio sive charitas; sed unum aliquid sit quod omnia valeat, sicut ipsa sapientia; et sic habeatur in uniuscujusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia. Si ergo hæc intellecta sunt, et quantum nobis in rebus tantis videre vel conjectare concessum est, vera esse claruerunt, nescio cur non sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes non tres, sed una sapientia; ita et charitas et Pater dicatur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omne una charitas. Sic enim et Pater Deus, et Filius Deus et Spiritus sanctus Deus, et simul omnes unus Deus.

XXIX. Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus nisi Deus Pater. Ideo autem addidi, principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pa-

ter dedit, non jam existenti et nondum habenti: sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus sanctus spiritus esset amborum. Non est igitur accipienda transeunter, sed diligenter intuenda inseparabilis Trinitatis ista distinctio. Hinc enim factum est, ut proprie Dei Verbum etiam Dei sapientia diceretur, cum sit sapientia et Pater et Spiritus sanctus. Si ergo proprie aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius quam ut hoc sit Spiritus sanctus? Ut scilicet in illa simplici summaque natura, non sit aliud substantia, et aliud charitas; sed substantia ipsa sit charitas, et charitas ipsa sit substantia, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu sancto, et tamen proprie Spiritus sanctus charitas nuncupetur.

XXX. Sicut Legis nomine aliquando simul omnia veteris Instrumenti sanctarum scripturarum significantur eloquia. Nam ex propheta Isaïa testimonium ponens Apostolus, ubi ait: « In aliis linguis et in aliis labiis loquar populo huic¹: » præmisit tamen: « In Lege scriptum est². » Et ipse Dominus: « In lege, inquit, eorum scriptum est, quia oderunt me gratis³: » cum hoc legatur in Psalmo. Aliquando autem proprie vocatur Lex, quæ data est per Moysen, secundum quod dictum est: « Lex et Prophetæ usque ad Joannem⁴. » Et, « In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ⁵. » Hic utique proprie Lex appellata est, de monte Sina. Prophetarum autem nomine etiam Psalmi significati sunt: et tamen alio loco ipse Salvator: « Oportebat, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in Lege et Prophetis » et Psalmis de me⁶. » Hic rursus Prophetarum nomen,

¹ Isaï. xviii, 11. — ² 1 Cor. xiv, 21, et Joan. xv, 25. — ³ Psal. xxxiv, 15. — ⁴ Matth. xiv, 13. — ⁵ Id. xxii, 49. — ⁶ Luc. xxiv, 44.

exceptis Psalmis, intelligi voluit. Dicitur ergo Lex universaliter cum Prophetis et Psalmis, dicitur et proprie quæ per Moysen data est. Item dicuntur communiter Prophetæ simul cum Psalmis, dicuntur et proprie præter Psalmos. Et multis aliis exemplis doceri potest, multa rerum vocabula, et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, nisi in re aperta vitanda sit longitudo sermonis. Hoc ideo dixi, ne quisquam propterea nos inconvenienter existimet charitatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater et Deus Filius potest charitas nuncupari.

XXXI. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipse sapientia: ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo charitatis, cum sit universaliter charitas et Pater et Filius. Sed Dei Verbum, id est, unigenitus Dei Filius aperte dictus est Dei sapientia, ore Apostolico, ubi ait: « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam¹: » Spiritus autem sanctus ubi sit dictus charitas invenimus, si diligenter Joannis apostoli scrutemur eloquium; qui cum dixisset: « Dilectissimi, diligamus » invicem, quia dilectio ex Deo est: » secutus adjunxit: « Et omnis qui diligit, ex Deo natus est; qui non diligit, » non cognovit Deum, quia Deus dilectio est². » Hic manifestavit eam se dixisse dilectionem Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Sed quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus sanctus ex Deo Patre procedit, quem potius eorum hic debeamus accipere dictum esse dilectionem Deum, merito quæritur. Pater enim solus ita Deus est, ut non sit ex Deo: ac per hoc dilectio quæ ita Deus est, ut ex Deo sit, aut Filius est, aut Spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum

¹ 2 Cor. 1, 24. — ² 1 Joan. 14, 7.

Dei dilectionem commemorasset, non qua nos eum, sed qua « Ipse dilexit nos, et misit Filium suum litatorem » pro peccatis nostris, » et hinc exhortatus esset ut et nos invicem diligamus, atque ita Deus in nobis maneat, quia utique dilectionem Deum dixerat, statim volens de hac re apertius aliquid eloqui: « In hoc, inquit, cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia » de Spiritu suo dedit nobis¹. » Spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. Denique paulo post cum hoc ipsum repetiisset atque dixisset: « Deus dilectio est: » continuo subjecit: « Et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus » manet in eo. » Unde supra dixerat: « In hoc cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de » Spiritu suo dedit nobis. » Ipse ergo significatur ubi legitur: « Deus dilectio est. » Deus igitur Spiritus sanctus qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. Non enim habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo. Propter quod paulo post dicit: « Nos diligamus eum, » quia ipse prior dilexit nos². » Apostolus quoque Paulus: « Dilectio, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, » per Spiritum sanctum qui datus est nobis³. »

XXXII. Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni æterni et filios perditionis æternæ. Dantur et alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatui cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus proprie dicitur Donum, nisi propter dilectionem: quam qui non habuerit, si linguis hominum loquatur et

¹ 1 Joan. 14, 13. — ² Ibid. 19. — ³ Rom. 5, 5.

Angelorum, sonans ærumentum est et cymbalum tinniens¹: et si habuerit prophetiam, et scierit omnia sacramenta, et omnem scientiam, et si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, nihil est: et si distribuerit omnem substantiam suam, et si tradiderit corpus suum ut ardeat, nihil ei prodest. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipsa vero dilectio sive charitas (nam unius rei est utrumque nomen), si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit sacramenta omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, vel non habendo quod distribuat, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradit corpus suum ut ardeat, si talis passionis nulla tentatio est, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Propter quod et apostolus Paulus, « In Christo, » inquit, Jesu neque circumcisio, neque præputium aliud quid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur²; » sic eam discernens ab ea fide, qua et dæmones credunt et contremiscunt. Dilectio igitur quæ ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas³, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam Donum Dei. Quod Donum proprie quid nisi charitas intelligenda est⁴, quæ perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum?

XXXIII. An et hoc probandum est, Dei Donum dictum esse in sacris Litteris Spiritum sanctum? Si et hoc expectatur, habemus in Evangelio secundum Joannem Domini Jesu Christi verba dicentis: « Si quis sitit, ve-

¹ 1 Cor. xiii, 1. — ² Galat. v, 6. — ³ Rom. v, 5. — ⁴ Act. viii, 20.

» niat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit » Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ¹. » Porro Evangelista secutus adjunxit, « Hoc autem dixit » de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. » Unde dicit etiam Paulus Apostolus: « Et omnes unum » Spiritum portavimus². » Utrum autem donum Dei sit appellata aqua ista, quod est Spiritus sanctus, hoc quaeritur. Sed sicut hic invenimus hanc aquam Spiritum sanctum esse, ita invenimus alibi in ipso Evangelio hanc aquam Donum Dei appellatam. Nam Dominus idem quando cum muliere Samaritana ad puteum loquebatur, cui dixerat, « Da mihi bibere; » cum illa respondisset, quod Judæi non couterentur Samaritanis; respondit Jesus, et dixit ei: « Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit » tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Dicit ei mulier: Domine, neque » in quo haurias habes, et puteus altus est, unde ergo » habes aquam vivam? et cætera. Respondit Jesus, et » dixit ei: Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; » qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet » in æternam; sed aqua, quam ego dabo ei fiet in eo » fons aquæ salientis in vitam æternam³. » Quia ergo hæc aqua viva, sicut Evangelista exposuit, Spiritus est sanctus, procul dubio Spiritus Donum Dei est, de quo hic Dominus ait: « Si scires Donum Dei, et quis est qui dicit » tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. » Nam quod ibi ait: « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: » hoc isto loco, » Fiet in eo, inquit, fons aquæ salientis in vitam æternam. »

XXXIV. Paulus quoque apostolus, « Unicuique, inquit, nostrum datur gratia secundum mensuram dona-

¹ Joan. vii, 37, 38. — ² 1 Cor. x, 4. — ³ Joan. iv, 10-14.

» tionis Christi¹. » Atque ut donationem Christi Spiritum sanctum ostenderet, secutus adjunxit, « Propter quod » dicit: Ascendit in altum, captivavit captivitatem, » dedit dona hominibus². » Notissimum est autem, Dominum Jesum, cum post resurrectionem a mortuis ascendisset in coelum, dedisse Spiritum sanctum, quo impleti qui crediderant, linguis omnium gentium loquebantur. Nec moveat quod ait, dona, non donum: id enim testimonium de Psalmo posuit. Hoc autem in Psalmo ita legitur: « Ascendisti in altum, captivasti » captivitatem, accepisti dona in hominibus³. » Sic enim plures codices habent, et maxime Græci, et ex Hebræo sic interpretatum habemus. Dona itaque dixit Apostolus, quemadmodum Propheta, non donum. Sed cum Propheta dixerit, « Accepisti dona in hominibus: » Apostolus maluit dicere: « Dedit dona hominibus: » ut ex utroque scilicet verbo, uno Prophetico, Apostolico altero, quia in utroque est divini sermonis auctoritas, sensus plenissimus redderetur. Utrumque enim verum est, et quia dedit hominibus, et quia accepit in hominibus. Dedit hominibus, tanquam caput membris suis: accepit in hominibus idem ipse utique in membris suis, propter quæ membra sua clamavit de cælo: « Saule, Saule, quid » me persequeris⁴? » et de quibus membris suis ait, « Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis⁵. » Ipse ergo Christus, et dedit de cælo, et accepit in terra. Porro autem dona ob hoc ambo dixerunt, et Propheta et Apostolus, quia per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia: quamvis ipsum donum a quo cuique propria dividuntur omnes ha-

—¹ Ephes. iv, 7. —² Ibid. 8. —³ Psal. lxxvii, 19. —⁴ Act. ix, 4.
⁵ Matth. xxv, 42.

beant, id est, Spiritum sanctum. Nam et alibi cum multa dona commemorasset, « Omnia, inquit, hæc operatur » unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique » prout vult¹. » Quod verbum et in Epistola quæ ad Hebræos est invenitur, ubi scriptum est, « Attestante » Deo signis et ostentis et variis virtutibus, et Spiritus » sancti distributionibus². » Et hic cum dixisset, « Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona » hominibus. Quod autem ascendit, ait, quid est, nisi » quia et descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut » adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam vero Evangelistas, quosdam autem pastores et doctores³. » Ecce quare dicta sunt dona: quia, sicut alibi dicit, « Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ⁴? » et cetera. Hic autem adjunxit, « Ad consummationem » sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi⁵. » Hæc est domus, quæ, sicut Psalmus canit, ædificatur post captivitatem⁶: quoniam qui sunt a diabolo eruti, a quo captivi tenebantur, de his ædificatur domus Christi, quæ domus appellatur Ecclesia. Hanc autem captivitatem ipse captivavit, qui diabolum vicit. Et ne illa quæ futura erant sancti capitis membra in æternum supplicium secum traheret, eum justitiæ prius, deinde potentiæ vinculis alligavit. Ipse itaque diabolus est appellata captivitas, quam captivavit qui ascendit in altum, et dedit dona hominibus, vel accepit in hominibus.

XXXV. Petrus autem apostolus, sicut in eo libro Canonico legitur, ubi scripti sunt Actus Apostolorum, loquens de Christo, commotis corde Judæis, et dicenti-

¹ 1 Cor. xii, 21. —² Hebr. ii, 4. —³ Ephes. iv, 8-10. —⁴ 2 Cor. xii, 29. — Ephes. iv, 12. —⁶ Psal. cxxvi, 1.

bus : « Quid ergo faciemus, fratres, monstrate nobis :
 » dixit ad eos, Agite poenitentiam, et baptizetur unus-
 » quisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, in re-
 » missionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus
 » sancti¹. » Itemque in eodem libro legitur, Simonem
 magum Apostolis dare voluisse pecuniam, ut ab eis acci-
 peret potestatem, qua per impositionem manus ejus da-
 retur Spiritus sanctus. Cui Petrus idem, « Pecunia, in-
 » quit, tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei
 » aestimasti te per pecunias possidere². » Et alio ejusdem
 libri loco, cum Petrus Cornelio et eis qui cum eo fuerant
 loqueretur, annuntians et prædicans Christum, ait Scrip-
 tura, « Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus
 » sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstu-
 » puerunt qui ex circumcisione fideles simul cum Petro
 » venerant, quia et in nationes donum Spiritus sancti ef-
 » fusum est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et
 » magnificantes Deum³. » De quo facto suo quod incir-
 cumcisos baptizaverat, quia prius quam baptizarentur, ut
 nodum quæstionis hujus auferret, in eos venerat Spiritus
 sanctus, cum Petrus postea redderet rationem fratribus
 qui erant Jerosolymis, et hac re audita movebantur, ait
 post cætera : « Cum coepissem autem loqui ad illos, ceci-
 » dit Spiritus sanctus in illos, sicut et in nos in initio.
 » Memoratusque sum verbi Domini, sicut dicebat, quia
 » Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptiza-
 » bimini Spiritu sancto. Si igitur æquale donum dedit
 » illis, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum
 » Christum : ego quis eram qui possem prohibere Deum
 » non dare illis Spiritum sanctum⁴? » Et multa alia sunt
 testimonia Scripturarum, quæ concorditer attestantur
 Domini Dei esse Spiritum sanctum, et in quantum datur

¹ Act. II, 37. — ² Id. VIII, 20. — ³ Id. X, 44. — ⁴ Id. XI, 15-18.

eis, qui per eum diligunt Deum. Sed nimis longum est
 cuncta colligere. Et quid eis satis est, quibus hæc quæ
 diximus satis non sunt?

XXXVI. Sane admonendi sunt, quandoquidem Do-
 num Dei jam vident dictum Spiritum sanctum, ut cum
 audiunt « Donum Spiritus sancti, » illud genus locutio-
 nis agnoscant, quod dictum est, « In expoliatione corpo-
 » ris carnis¹. » Sicut enim corpus carnis nihil est aliud
 quam caro : sic Donum Spiritus sancti nihil est aliud
 quam Spiritus sanctus. In tantum ergo Donum Dei est,
 in quantum datur eis quibus datur. Apud se autem Deus
 est, etsi nemini detur, quia Deus erat Patri et Filio coæ-
 ternus antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant,
 ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur sicut Do-
 num Dei, ut etiam se ipsum det sicut Deus. Non enim
 dici potest non esse suæ potestatis, de quo dictum est,
 « Spiritus ubi vult spirat². » Et apud Apostolum quod jam
 supra commemoravi, « Omnia hæc operatur unus atque
 » idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult³. »
 Non illic est conditio dati et dominatio dantium, sed con-
 cordia dati et dantium.

XXXVII. Quapropter si sancta Scriptura proclamat :
 « Deus charitas est⁴; » illaque ex Deo est, et in nobis id agit
 ut in Deo maneamus, et ipse in nobis, et hoc inde cog-
 noscimus, quia de Spiritu suo dedit nobis, ipse Spiritus
 est Deus charitas. Deinde si in donis Dei nihil majus est
 charitate, et nullum est majus donum Dei quam Spiritus
 sanctus, quid consequentius quam ut ipse sit charitas,
 qui dicitur et Deus et ex Deo? Et si charitas qua Pater
 diligit Filium et Patrem diligit Filium, ineffabiliter com-
 munionem demonstrat amborum, quid convenientius

¹ Coloss. II, 11. — ² Joan. III, 8. — ³ I Cor. XII, 11. — ⁴ I Joan.
 IV, 10.